



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Prima Pars Et Prima Secundæ Divi Thomæ Complectvntvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores & praxim spectantes, quæ peculiarem cum
Scholasticis habent connexionem, declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1659

Dispvatio CXXIV. Reliqua ad gratiam habitualem spectantia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13718

DISPUTATIO CXXIV

Reliqua ad gratiam habitualem spectantia.

SECTIO PRIMA

Inquiruntur nonnulla circa gratiam habitualem.



PRIMUM est: utrum gratia habitualis produci efficienter possit ab agente creato. Quæstio procedit de causâ principali; posse enim aliquid obedientialiter elevari ad gratiam producendam non videtur dubium in sententia admittente potentiam obedientialem latam, quam admittendam esse ostendi Disp. 27. Phys. sect. 4. Imò hoc etiam verum existimo, etiamsi gratia connaturaliter peteret creari; posse etenim creaturam instrumentaliter elevari ad creandam probavi eadem Disp. 27. sect. 7.

II. Circa causam itaque principalem gratiæ, nulli dubium; quin de facto à Deo, ut à causâ principali producat; Concilium namque Tridentinum sess. 6. cap. 7. omnes gratiæ causas enumerans ait causam ejus efficientem esse Deum, instruens talem verò baptismum, nec causam illius principalem assignat præter Deum. De possibili etiam probabilis mihi videtur, non posse gratiam ab ulla re creata, tanquam à causâ principali produci, sed à solo Deo. Ratio est, hujusmodi siquidem causa esse deberet substantia supernaturalis, hæc autem implicare ostendimus supra; Disp. II. Confirmatur: cum enim gratia, ut diximus, sit peccatorum remissio, sequeretur posse creaturam, ut causam principalem remittere peccata, quod tamen est proprium Dei. Si autem quis contendat posse dari accidens aliquod tantæ perfectionis, ut gratiam principaliter producat, nullum accidens exiis, quæ nos scimus, perfectius est gratia præter visionem beatificam, hæc verò cum sit qualitas merè intentionalis, non est hoc modo operativa, sicut nec qualitates intentionales naturales alias non intentionales producant. Denique ipsa gratia non est operativa, ut sectione sequente ostendam, ergo nec in proprio, nec alieno subiecto potest gratiam sui similem producere.

IV. Secundo quaeritur: utrum Deus prius diligat hominem quam ei gratiam infundat. Occasionem huic quaestioni dedit Durandus, qui in 1. d. 17. q. 1. ait Deum prius amore supernaturali benevolentia, seu amicitia perfectæ (de hoc enim amore est sermo, non de naturali, nec de supernaturali etiam inchoato & imperfecto) nos prius amare, quam gratiam infundat, eò quod hæc voluntas, qua nobis vult infundere gratiam sit secundum omnes verus amor amicitia, quo scilicet vult nobis ingens hoc bonum gratiæ, seu amicitia divina, sed hæc volitio divina, seu amor est prior infusione gratiæ, utpote vera illius causa, ergo cum ab illo denominemur amati à Deo, non per gratiam, per illum siquidem vult nobis bonum, qui est conceptus amoris, ut alibi diximus, sequi videtur prius amari nos à Deo, quam nobis gratiam infundat.

R.P. Comptoni Theol. Scholast. Tom. I.

Quam etiam sententiam tenet Ockamus.

Dicendum nihilominus cum communi sententia, hominem non esse prius naturâ dilectum à Deo, proprie amore amicitia, quam habeat gratiam, tum quia tunc contra supra dicta ex Concilio Tridentino gratia non esset causa formalis iustificans, seu remittens peccata, cum prius naturâ forent per illum actum amoris remissa; tum quia Deus gratiam infundit, ut per eam hominem mundet à peccatis, ergo gratia hoc præstat, & consequenter non aliquid illa prius.

Hinc patet responsio ad fundamentum Durandi: est enim actus quo Deus extrinsecè condonare vellet peccatum, ex modo tendendi esset talis, ut absolute & efficaciter peccatum tolleretur, actus tamen quo de facto Deus vult homini infundere gratiam, non est hujusmodi, sed ex modo tendendi est conditionatus, nempe remittendi peccata si adsit gratia, & non aliter: quod inde colligimus; & siquidem intentione vult Deus hic & nunc infundere gratiam, ut per illam tollatur peccatum, imò non intendit tollere peccatum nisi per gratiam, ergo nisi hoc dicamus, voluntas illa secum pugnaret. Existit tamen possibile esse voluntatem infundendi gratiam, per quam prius naturâ tolleretur peccatum, quæ proinde & æquivaleret condonationi extrinsecè, & simul pro aliquo posteriori gratiam conferret.

Notandum itaque amorem benevolentia variis modis sumi posse: ille siquidem affectus quo Deus dat primam gratiam excitantem, est affectus benevolentia, licet solum inchoata, & minus perfecta; ulterius actus quo vult dare peccatori gratiam est etiam affectus benevolentia juxta illud Joannis 3. v. 16. Sic Deus dilexit mundum, &c. & ad Romanos 5. v. 8. Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, &c. Hic tamen actus non est benevolentia consummata, seu formaliter per se reconciliativa; unde non est amicitia supernaturalis formaliter, sed solum radicaliter, seu causaliter, in quantum scilicet infert formam, per quam reconciliatur quis Deo, & fit ejus amicus. Actus itaque vera amicitia, quem exercet Deus erga justos, est affectus ortus ex gratiâ jam datâ, per quem complacet sibi in homine illo ut amico & filio, gaudetque de perfectione & pulchritudine illius ut ei bonâ.

Secundum, quod hic inquiri solet est, quarum dispositiones ad justificationem requirantur. Sermo est de lege ordinariâ; de potentia enim absoluta potest Deus, ut peccatum extrinsecè sine dispositione ullâ praviâ ex parte peccantis remittere, ita & gratiam infundendo, idem peccatum sine ullâ dispositione tollere, ut alibi diximus, sicut modo contingit de peccato originali in parvulis.

Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 6. Sex actus enumerat, quibus fideles ad justificationem disponuntur, Fidem, timorem panæ, spem, amorem Dei, detestationem peccati, ac demum propositum sciendi sacramenta & vitam emendandi. Qui actus, etiam quoad ordinarium cursum rerum, & modum quo

V.

Homo non est proprie dilectus à Deo proprie naturâ, quam habeat gratiam.

VI.

Actus quo Deus de facto infundit gratiam, non est absolute remissio peccati, sed solum conditionata.

VII.

Amor benevolentia diversis modis sumitur.

Maximè proprius actus amicitia Dei erga justos.

VIII.

De dispositionibus ad justificationem requiruntur.

IX.

Sex dispositiones ad justificationem à concilio Tridentino enumerantur.

III. Positivè gratia produci ab agente creato.

VI. Circa causam itaque principalem gratiæ, nulli dubium; quin de facto à Deo, ut à causâ principali producat; Concilium namque Tridentinum sess. 6. cap. 7. omnes gratiæ causas enumerans ait causam ejus efficientem esse Deum, instruens talem verò baptismum, nec causam illius principalem assignat præter Deum.

III. Gratia à nullâ re creata potest principaliter produci.

IV. Secundo quaeritur: utrum Deus prius diligat hominem quam ei gratiam infundat.

quo homines de facto respiciunt, ut plurimum interveniant, nil tamen obstat, quo minus homo, posito actu Fidei, immediatē moveatur ad actum amoris Dei super omnia, sicque sine formali dolore, vel spe justificentur, qui tamen actus suo tempore sunt exercendi; debet etenim quis necessitate præcepti, peccata sic per amorem illum remissa postea confiteri, & consequenter de eis dolere.

X. Fides etiam actualis ad justificationem semper videtur necessaria, sine Fide enim impossibile est placere Deo, ut dicitur ad Hebræos II. v. 6. & accedentem ad Deum oportet credere, &c. cujus ratio est, quia nulla alia cognitio supernaturalis de lege ordinariā secundum præsentem institutionem rerum nobis est concessa, quæ voluntates nostras excitet ad actus supernaturales. Fides enim, est sperandarum substantia rerum, ut habetur loco proxime citato: Deus autem ad probationem nostram, & majorem humilitatem, vult ut hanc solam habeamus hic in viā cognitionem, & captivemus intellectum in obsequium Fidei. Si tamen dare nobis vellet scientiam supernaturalem infusam, sicut dedit Christo Domino, possemus ex vi illius actus quosque perfectissimos supernaturales elicere, sicut ex vi scientiæ naturalis elicimus actus voluntatis naturales.

Scientia supernaturalis huic Fidei vires optime supplet.

XI. Inquiri hic solet tertio, cum gratia reddat nos confortes divini naturæ juxta illud 2. Petri. v. 4. Maxima & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hoc divina efficiamur confortes naturæ: quæritur inquam, quid sit gratiam reddere nos confortes, seu participes divini naturæ. Breviter pro præsentis dico, sicut natura seu essentia divina consistit in intellectu aliquo, vel radicali vel actuali, cujus propriū est videre clarè seipsam, hoc quod competit naturaliter & essentialiter Deo, per gratiam tanquam per radicem communicatur creaturæ rationali, qua de causâ vocatur gratia semen gloriæ, & ut multi volunt, radix quædam vite supernaturalis, seu omnium operationum supernaturalium creaturæ, ad eum fere modum, quo natura divina in creaturæ, & natura creata operationum naturalium. Plura hæc de re dicta sunt supra Disp. 121. sect. 6. num. primo.

Quam ob causam appetitur Gratia semen gloriæ.

SECTIO SECUNDA.

Quibusdam discussis natura gratiæ magis declaratur.

I. PROPONI hic inter Theologos solet quæstio, utrum amissâ gratiâ, Fidei quoque & Spei habitus unâ amittantur. Quamvis res hæc quoad habitum Fidei definita videatur à Concilio Tridentino, dum sess. 6. can. 28. ait, Si quis dixerit, amissâ per peccatum gratiâ, simul & Fidem semper amitti &c. anathema sit. Hoc inquam non obstante, P. Valquez Disp. 91. cap. 4. ait, quamvis probabilius sit dari habitum Fidei, quia tamen non est Fide certum hujusmodi habitum existere, ait inquam, non esse de Fide amissâ gratiâ manere in peccatore habitum Fidei: Concilium verò explicat, quòd dum dicit Fidem non amitti, non loquatur de habitu Fidei, sed quòd solum velit hominem per quodvis peccatum mortale, non excedere de statu hominis Fidelis, quia nimirum nullum adhuc infidelitatis actum elicit.

Singularis opinio P. Valquez circa habitum Fidei.

Dicendum nihilominus, habitum Fidei, amissâ per peccatum mortale gratiâ, in peccatore ma-

nere. Imò ulterius existimo hoc vel esse de Fide, vel ita certum, ut nullus id negare possit. Ratio est: Theologi enim omnes ita hoc fixum & ratum habent, idque ob auctoritatem Concilii, ut hoc ubique supponant, omnesque hac ratione Tridentini verba exponunt: sicut dum idem Concilium definit in justificatione infundi charitatem, fidem, & spem, omnes per fidem intelligunt habitum fidei, ergo & in præsentis; incredibile enim est Concilium, non ita multis interjectis, æquivoce hanc vocem Fidem accipere.

Amisâ Gratiâ manet in peccatore habitus Fidei.

Rationem verò cur habitus Fidei in peccatore, amissâ gratiâ, etiamnum permaneat, supra cum communi Theologorum assignavimus: congruum quippe esse affirmant, ut homo habeat connaturale principium intrinsecum, quo se ad justificationem denuo recuperandam disponat: quæ ratio non tenet in hæretico, qui per actum hæresis contra Fidem peccando, jure Fidei habitu privatur. Reliqui etiam habitus infusi, ut castitatis, humilitatis &c. cum eorum actus per se non sint ad justificationem necessarij, non est tanta necessitas ut amissâ gratiâ permaneant, atque est cur maneat habitus Fidei, cum actus Fidei omnino sit ad hunc effectum necessarius.

III. Ratio à Theologis assignata, cur Fides amissâ gratiâ permaneat.

Quoad habitum Spei, quamvis non idem pro illius permanentiâ post gratiæ amissionem habeamus fundamentum in Concilio, ac pro habitu Fidei, communis tamen fere est sententia Theologorum, eum amissâ gratiâ plerumque non amitti. Ratio est eadem, quæ pro habitu Fidei; cum enim actus spei sit dispositio maximè ad justificationem recuperandam conducens, imò necessaria, congruum est, ut principium illius intrinsecum semper maneat, sicut principium intrinsecum Fidei. Habitu verò Fidei, qui totius ædificii spiritualis fundamentum est, sublato, habitus spei & alia omnia ruant necesse est, & ut inter actus, ita & inter habitus est subordinatio.

Cur habitus infusi virtutum moralium non maneat, sicut habitus Fidei.

Secunda difficultas est, utrum gratia sit operativa: Pater Suarez lib. 6. de gratiâ cap. 13. ait gratiam influxu quodam activo simul cum habitibus ad omnes actus supernaturales concurrere, tam in viâ, quam in patriâ; contrarium tamen est probabilius, tum quia hic influxus esset superfluous, cum habitus illi sufficiant, tum quia alioqui habitus Fidei in peccatore non esset principium sufficiens actus supernaturalis Fidei, cum defuit gratia alterum comprincipium, sicque ille non esset verè fidelis.

IV. Habitus Spei etiam Spei amissâ Gratiâ persistit in peccatore.

Tertia difficultas: sitne gratia radix physica habituum supernaturalium, an tantum moralis, seu ex ordinatione divini. Primum placet multis, quod tamen non satis probatur. Deinde Fides & Spes miraculosè conservarentur in peccatore, quod tamen sine urgente necessitate non est cur quis affirmet. Præterea essentia: quæ per emanationem producant suas passiones, ab iisdem perficiuntur, quod tamen gratia ab habitibus supernaturalibus non contingit.

V. Probabilius est Gratiam in actu supernaturalium virtutum physicè non influere.

Quarta, & latè à multis disputata difficultas est, utrum gratia subjiceretur in substantiâ animæ, & charitas similiter si distinguatur, an potius in voluntate. Hoc in sententiâ, quam in libris de animâ Disp. 12. secutus sum, potentias scilicet ab animâ non distingui, nullam habet difficultatem, cum idem sit anima & voluntas, in aliâ autem sententiâ dici potest gratiam in substantiâ animæ subjicere, charitatem in voluntate. Latius hæc de re dixi supra, Disputatione 121. sectione 5. num. sexto.

VI. Sine Gratiâ radix physica, an moralis habituum supernaturalium.

VII. Utrum Gratia subjicitur in substantiâ animæ, an in voluntate.

Postremò

VIII. Postremò inquiri solet, utrùm gratia educatur ex animæ potentiâ, tanquam subjecti, an verò creetur. Vega in Trid. lib. 7. cap. 17. nonnullos secutus ex antiquis Theologis, vult eam creari. Sotus in 4. d. 1. q. 3. art. 1. & Cajetanus 1. 2. q. 112. art. 1. asserunt nec creari eam propriè, nec educi, sed concreari. Vera tamen sententia est, quam modo sequuntur recentiores communiter, gratiam scilicet nec creari nec concreari, sed ex potentiâ animæ educi, sicut lux aut frigus ex aëris vel aquæ potentiâ educuntur: ita Bellarminus lib. 2. de Sacramentis in genere cap. 12. Valentia hic q. 4. puncto 2. Suarez tomo 3. in 3. partem d. 9. sect. 1. Tannerus hic Disp. 6. q. 4. dub. 2. & alii. Ratio est, quia gratia non minus est accidens, quàm alia accidentia, & consequenter esse ejus est ineffe, sicque non minus inherere petit

subjecto, quàm illa, & ab eodem subjecto dependere, sed hoc est educi, ergo. Unde & Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 7. & can. 11. ait gratiam inherere, & recipi in animâ.

Tandem circa gratiæ productionem notandum, creationem duplicem esse, physicam & moralem: de physicâ jam diximus, & per illam explicari potest moralis; sicut enim creatio physica illa est, qua aliquid producitur, subjecto physicè ad illud non concurrente, ita creatio moralis est, qua res aliqua fit sine concursu morali ejusdem subjecti, id est nullis præcedentibus meritis: quo sensu gratia subinde dicitur creari, & homo *nova creatura*: quia sicut homo factus primò est ex nihilo physicè quoad naturalia, ita & modò moraliter quoad supernaturalia.

IX. Creatio duplex, physica & moralis.

Cur Gratia interdum dicatur creari, & homo nova creatura.

Ratio est: quia cum sit accidens, petit inherere subjecto.

DISPUTATIO CXXV.

De distinctione Charitatis & Gratia.

HOC unum restat circa naturam gratia isthic inquirendum: alia enim de quibus à nonnullis hic disputari video, ut, An gratia per quodlibet opus bonum, quantumvis remissum augeatur: An per omnem actum meritorium augeantur omnes habitus infusi, & utrum equaliter; An gratia habeat terminum suæ intensiõnis, & alia hujusmodi: hæc inquam, commodius discutientur in materiâ de Charitate, dum de illius augmento, ubi eadem operâ de Charitate & Gratia hanc questionem solvemus, cum eadem serè sit ratio utriusque.

SECTIO PRIMA.

Utrum Gratia habitualis realiter distinguatur à Charitate.

I. Et possibile est habitus Charitatis à Gratia distinguatur.

Hac questione nihil certi afferri potest: Primò itaque, si loquamur de possibili, nulla videtur repugnantia, ut detur habitus charitatis Theologicæ, quæ non solum ad actus amoris Dei eliciendos ordinatur, sed etiam ad hominem justificandum, sicque simul sit forma sanctificans. Deinde nulla etiam apparet repugnantia, ut hæc munera distinguantur, sitque una qualitas, quæ ordinatur tantum ad sanctificandum formaliter naturam rationalem, alia cujus adæquatum munus sit, esse principium actuum amoris. Utrum autem charitas & gratia, quæ de facto infunduntur, hoc modo distinguantur necne, planè est incertum, solisque agi potest conjecturis.

Possibile est etiam esse hujusmodi habitus à Gratia distinctus.

II. De facto vero videtur Charitatem à Gratia realiter distinguatur.

Omnibus itaque perpensis, probabilius mihi videtur charitatem de facto distinguatur à gratia: ita Suarez lib. 6. de gratia cap. 12. num. 1. ubi plurimos pro hac sententia citat, quam etiam docet S. Thomas 3. contra gentes, cap. 150. & 151. & q. 27. de veritate art. 2. quem sequuntur Thomista, Capreolus, Cajetanus, Medina, Ferrara cum

aliis: tenet etiam S. Bonaventura, & alii non pauci. Idem affirmat Tannerus hic, Disp. 6. q. 4. d. 2. Valentia 1. 2. Disp. 8. q. 2. Amicus hic, Disp. 29. sect. 3. num. 58. cum aliis.

Hæc sententia (sicut nec contraria) ostendi clarè nequit ex Scripturâ & Patribus, utpote qui ambigè satis hac in parte de gratiâ loquuntur. Ratio itaque probabilis est, quia cum non sit impossibilis charitas distincta à gratiâ, non est cur non dicamus de facto hoc modo distinguatur, tum quia Fides & Spes à gratiâ distinguuntur, tum quia nullum est urgens fundamentum, nec ab auctoritate, nec à ratione ad illas identificandas, ut videbimus: tum denique, quia nullum sequitur inconveniens si ponantur distinctæ: tandem quia in rebus naturalibus, ubi una non est de conceptu alterius, nullaque urgens ratio in contrarium, solent eas Philosophi distinguere: sic unio plerumque distingui solet ab actione eductivâ formæ, ubicatio à duratione, & alia hujusmodi.

III. Ratione ostenditur probabilis esse Gratiam distinguatur à Charitate.

Imò, quod etiam vim suam habet, Scriptura, Concilia & Patres subinde loquuntur de iis ut distinctis: sic enim 2. ad Corinthios 13. num. 13. dicitur Gratia & charitas sit cum omnibus vobis, & 1. ad Timotheum 1. Superabundavit gratia cum Fide & dilectione, que est in Christo IESU. Sic etiam Concilium Tridentinum sess. 6. can. 11. damnat eos, qui dicunt nos justificari sine gratiâ & charitate, S. etiam Augustinus lib. de gratiâ Christi,

IV. Scriptura, Concilia, & Patres de Gratia & Charitate sæpè loquuntur, ut de distinctis.